



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 23. Concilium Ephesinum convocatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.
A. C. 430.

§. XXIII.

Concilium Ephesinum convocatur.

q. p. Conc.
Eph. c. 30.
Evagr. I.
hist. c. 7.

1. part. Conc.
Ephes. c. 32.

Antequam hi Legati Constantinopolim pervenissent, Theodosius convocationem Concilii œcumenici mandavit, cum ambæ partes id deposcerent. Catholici Concilium petebant, quod ex Libello supplici Basilii, & Monachorum, quos Nestorius male habuerat, apparet; Nestorius quoque petebat, quod speraret, Potestatum Sæcularium favore, & Orientalium nixus præsidio vincere, & efficere, ut S. Cyrillus opera Cheremonis, accusatoris ejus, aliorumque calumniatorum causa caderet. Epistola convocationis Nomine amborum Imperatorum juxta formam consuetam ad Metropolitanas uniuscujusque Provinciæ directæ est. Ea, quæ ad nostra usque tempora asservata, ad S. Cyrillum data est, & summam hæc habet: *Ob turbas in Ecclesia exortas omnino necessarium judicavimus, ut totius Mundi Episcopos convocaremus, quantumvis abhorruerimus, ut iis tantam defatigationem injungeremus. Igitur pietas tua ita omnia disponat, ut postquam proximum Festum Paschæ præterierit, ad Diem Pentecostes Ephesum se conferat, & secum Episcopos, quotquot expedire judicaverit, adducat, ita ut numerus sufficiens remaneat, regendæ Provinciæ, &*

fre

frequentissimi in Concilio adsint. Nemo interea quidquam innovet, donec Concilium fuerit congregatum. Nullatenus dubitamus, omnes Episcopos prompte venturos, si quis absit, nulla ei coram Deo, & coram nobis excusatio erit. Datum Constantinopoli, decimo tertio Calendas Dec. Theodosio decimo tertio, & Valentiniano tertio Consulibus, id est, 19. Nov. anno 430. Ad celebrandam Synodum delecta est Civitas Ephesina, omnibus rebus ad vitæ commoditatem instructissima, & ad quam facilis esset terra, marique accessus.

Sæculum V.
A. C. 430.

Sacra per
Joan. Conc.
Ephes. p. 721

Præter Epistolam Circularem alia speciatim ad S. Cyrillum data, qua Theodosius sanctum Virum accusat, quod turbarum in Ecclesia auctor esset; queritur etiam, quod diversas scripsisset Epistolas, unam ad se, & Conjugem Eudoxiam, alteram ad sororem suam Pulcheriam, quasi vero divisa esset Familia Cæsarea. Veniam tamen concedit, & hortatur, ut in Synodo ad reducendam Ecclesiæ tranquillitatem, quantum posset, collaboret. Ex hac Epistola cognoscitur, Theodosii animum in S. Cyrillum præjudicio laborasse.

§. XXIV.

Ultima S. Augustini Opera.

Sanctus Augustinus nominatim ad Synodum vocatus est ob præcellentem

Hist. Eccles. Tom. VI.

E. de